SERENISSIMO PRINCIPI D.D. FERDINANDO MEDICI, S.R.E. CARDINALI, MAGNOQVE ETRVRIÆ *DVCI, HISPANIARVM PROTECTORI.*

ITALIAM terrarum florem etsi singulari studio & labore ex tabulis & libris quam potui emendatissimè congesserim, Serenissime Princeps, non tamen sine illustri ornatu in summorum virorum conspectum, à quibus illa expetitur, dimittere consultum videbatur, quod inde maior autoritas & splendor accedat. Qua in re cum sollicitus essem, non vani ad antiquissimi sapientissimiq; Regis IANI sedem Etruriam me pertraxit animus celebrandæ antiquitatis Romanæ auidus: quemadmodum enim ibi autoribus Hercule Idæo, Tusco eius filio, Iano nepote & huius tutore Atlante Italo omnis gloria Italiæ veluti à primis incunabulis orta fuit, ita non dubito, quin eius renouata hic memoria, et tui Iano succedentis gloria ac Celsitudo meum opus plurimum sit commendatura, & sui reuerentia æmulorum ausus tanquam regius Mecœnas repressura. Tuæ igitur Celsitudini, Illustrissime Princeps, hoc opus consecratum commendatumque opto, & offero, ad quam me perpulit audaciam fauor & tutela, qua studiosos omnes, & artibus addictos complecteris, ita vt debitorē me, licet longè dissitum, vt reliquos studiosos omnes, ad colendam & obseruandam Tuam Celsitudinem crederem. Græciam adieci ex autoribus aliquot, præcipuè Pausania, castigatam & auctam. Illyricum siue Sclauoniam & Thraciam requirebat instititutum meum, quo cohærentes & aliqua ratione inter se communicantes regiones in vnum colligens, paulatim totum orbem per tomos exhiberem. Si quid amplius, præcipuè Italiæ, cuius potissimum antiquitatem celebrare desidero, contigerit, quantum patietur properans senium Illustrissimæ Celsitudini Tuæ adiungam, quam Reipublicæ diutissimè incolume precor. Duysburgi 13. Martij, Anno 1589.

Illustrissimæ Celsitudini Tuæ

Omni studio deditissimus

Gerardus Mercator Illustrissimi
Ducis Cliuiæ, &c. Cosmographus.